



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute  
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione  
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in  
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1626**

XX. An Prælati regulares habeant potestatem absoluendi suos subditos à  
censuris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



ſolùm exiſtimo hoc poſſe fieri, ſed etiam eſſe cōuenientius, & omnino faciendum, ſi quis habeat cōſcientiam alterius peccati mortalis non reſeruati: quia ille eſt diſpoſitus ad cōfeſſionem, & ad effectum abſolutionis, quantum eſt ex ſe, vt ſupponimus, & alioqui cōfiteſtur quantum poteſt, & quomodo poteſt, & quod licet id facit, cū ſit in neceſſitate cōmunicandi; quæ eſt ſufficiens, vt debeat ſic cōfiteri, tum vt impleat præceptum diuinum, tum vt fiat ex attrito contritus, ſi fortaſſe non peruenit ad veram contritionem. Cōfeſſor autem poteſt, & debet tunc abſolutionem præſtare, ſi ſibi cōfiteſ, penitentem habere iuſtam excuſationem non cōſtitendi Superiōri: quia penitēs eſt diſpoſitus, & integre cōfiteſtur quantum poteſt, & eſt in ſufficienti neceſſitate abſolutionis. Neque eſt quod cōfeſſor de iuriſdictione dubitet, quia tunc non vtitur iuriſdictione præſumpta. (In quo differt hæc ſentētia à præcedenti) ſed vtitur iuriſdictione certa, quā habere debet circa alia peccata cōfeſſa, quæ ſufficiunt ad cōſciendum ſacramentum, quo indirec- tē tollantur peccata reſeruata, etiam ſi in illa nulla ſit iuriſdictio. Per hoc autem remediū ſubuenitur neceſſitati penitentis, & ſeruatur reuerentia debita ſacramento Eucharistiæ, & non minuitur rigor reſeruatiōis, nam ſemper manet eadē obligatio cōſtitendi direc- tē illa peccata Superiōri, vel ei, qui ab illo iuriſdictionem habuerit: in quo maxime differt hic modus dicendi à præcedenti in n. 20. nam iuxta illum, conſequuta ſemel abſolutione, non oportet illa peccata iterum cōfiteri Superiōri: quia remiſſa fuiſſe dicuntur per iuriſdictionem ipſo iure, vel tacite datam à maiori prælato, imò etiam ſi vt penitens maneat liber ab omni onere comparēdi, quia ſicut præſumitur iuriſdictio data, ita præſumetur abſolutio, & ſimpliciter data: maxime vbi peccatum non habet annexam cenſuram reſeruatiā, quod ſine dubio maximum inconueniens eſt. Et ideo illa iuriſdictio præſumpta, vt dixi, nullo modo eſt admittenda; abſolutio autem direc- ta iuxta meſuram propriæ iuriſdictionis cum remiſſione indirēctæ eorum peccatorum, in multis caſibus neceſſariò admittenda eſt, vt ex propria materia conſtat: vnus ergo illorum eſt hic, de quo agimus, & alium ſimilem in ſequenti c. videmus.

C A P V T XX.

An prælati regulares poſſint abſolueré ſuos ſubditos à cenſuris.

**H**Aſtenus de peccatorum abſolutione dictū eſt, iam de abſolutione cenſurarum agendum, quæ poſſunt etiam diſtingui in cenſuras ipſiusmet religionis, & ab extrinſeco prouenientes: item in cenſuras à iure, vel ab homine item in reſeruatas, & nō reſeruatas. Deinde poteſtas abſoluerendi ab illis, eſſe poteſt vel ex iure communi, vel ex iure, & priuilegiis regularibus. Primò ergo dicendum eſt, prælatū religionis iure cōmuni poſſe abſolueré ab omnibus cenſuris non reſeruatis, & ipſo iure latis, ſiue ſit ius commune, ſiue proprium religionis. Probat ex c. nuper, de ſent. excom. vbi quilibet proprius ſacerdos dicitur habere hanc poteſtatem: quia vbi conditor iuris abſolutionem non reſeruauit, conceſſiſſe videtur, vt ibidem dicitur. Quæ regula in omni iure, tã communi, quàm regulari, eadem ratione locū habet: prælatus autem religionis eſt proprius ſacerdos ſuorum ſubditorum, vt per ſe conſtat: ergo. Ex quo infero, etiam ordinariū cōfeſſorem conuentus, vel quemcunque alium approbatum ab ipſo prælato ad audiendas cōfeſſiones ſubditorum cum iuriſdictione abſoluerendi à mortalibus nō reſeruatis, poſſe etiam abſolueré à quibuſcunque cenſuris nō

Franc. Suar. de ſtat. relig. Tom. IV.

reſeruatis per talia peccata contractis: nam iuxta probabiliorem ſententiā, quam in tom. 5. approbauimus, deciſio c. nuper. extenditur ad quemlibet ſacerdotem habentem iuriſdictionem ad abſoluerēdum à peccatis mortalibus, ratione quorum cenſetur conſequenter conceſſa poteſtas abſoluerendi ab huiusmodi cenſuris: nam, qui delegat poteſtatē ad aliquid cenſetur concedere poteſtatem ad omnia neceſſaria ad talem finem, vt eſt vulgatum in iure. Et cōfirmatur, quia aliqua eſt cōſtituenda diſſerentia inter excommunicationem reſeruatiā vel non reſeruatiā prælato: nulla autem eſſet, ſi cōfeſſor ordinariū non poſſet abſolueré ab excommunicatione non reſeruata. Hic autem oriebatur dubium de cenſuris iuris communis peculiariter cōmiſſis Episcopis, de quo infra dicemus.

Secundò dicendum eſt, prælatum religionis iure ordinario poſſe abſolueré ſubditum ab omni cenſura lata ab homine, tam per ſententiā generalē, quàm per particularē, niſi ſit lata à Superiōre prælato ſuo. Probatuſ aſſertio, quia cēſura ab homine, ab eodem tolli poteſt, à quo fuit poſita, vel ab eius ſuperiōre; ſed religioſus non poteſt ab alio homine excommunicari niſi à prælato ſuo: ergo ab eodem poteſt, & debet abſolui. Habet ergo prælatus iure ordinario hanc poteſtatem, quæ, ſi cōſideretur in prælato ſuperiōre, extendetur ad omnes cenſuras latis ab inferioribus prælatis ſibi ſubiectis. Atque hinc facile probatur exceptio: nam inferior nō poteſt ſuperioris ſententiā reuocare.

Poteſt autem quæri, an illa exceptio intelligēda ſit tã de ſentētia generali, quàm de particulari: Breuiter tamen reſpondeo, quod licet in rigore iuris vtrique adhibenda videatur, nihilominus ex uſu, & pia interpretatione generalis ſentētia in hoc æquiparatur iuri, ita vt, ſi cenſuram ſic latā prælatus ſibi expreſſe non reſeruauit, eo ipſo illam ordinariis prælatis, vel cōfeſſariis reſeruare cenſetur iuxta regulam dicti c. nuper. Solū ergo in ſententiis ſpecialibus illam limitationem intelligit. Ex dictis autem conſtat, nomine prælati in præſenti comprehendī Summum Pontificem, qui generalis, & ſpeciali titulo eſt ſupremus prælatus religioſorum, & ideo ipſe poteſt abſolueré quoscuque religioſos à quibuſcunque cenſuris, latis à quibuſcunque aliis prælatis: alij verò non poſſunt abſolueré à latis ab ipſo, niſi quatenus ab eo conceditur, vel expreſſe, vel per generalem regulam c. nuper.

Peculiarem verò difficultatē habet quid dicendum ſit de excommunicatione religioſi lata ab Episcopis in caſibus in quib. eam in religioſos ferre poſſunt, etiam ſi exempti ſint: nam de ſibi ſubiectis nulla eſt quaſtio, quia cū ipſe ſit Ordinariū prælatus talium religioſorum, regula poſita, in eo locū habet. Poteſt autem interdum Episcopus aliquid præcipere religioſis ſub pœna excommunicationis, vt quod ad proceſſionem vocari accedant, iuxta Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 13. de Regular. & in aliis caſibus illis commiſſis in eadem ſeſſione, variis decretis de Regularibus, & ſeſſ. 5. c. 1. de Reformat. & aliis locis ſimilibus. Tunc ergo, cū certum ſit, ipſummet Episcopum poſſe abſolueré, & à fortiori Pontificem, de prælatis religionis dubium eſt, nam cū non ſint ſubditi Episcopis, non videntur comprehendī ſub exceptione poſita, poterūt ergo abſolueré ſubditos ab his cenſuris. Reſpondeo nihilominus non poſſe: quia in eo actu reuera ſunt Episcopi ſuperiores prælati reſpectu prælatorum religionis: nā vel Episcopi in eo actu procedunt vt delegati Sedis Apoſtolice, vt ſepè in dicto Concilio dicitur, & tunc conſtat nō ſolū eſſe Superiores, ſed quodammodo ſupremos, quia vtuntur iuriſdictione Pontificia ſibi delegata. Vel ſe gerunt vt propria iuriſdictione vtentes, ablata exemptione, quantum ad talem caſum,

M 3

& ſic

IV.  
An de cen-  
ſuris ab Epif-  
copis latis  
procedat, af-  
ſertio.



& sic etiam sunt Superiores, quia omnes prelati religionum iure ordinario essent subditi Episcopis, nisi essent exempti: ergo pro illis casibus, in quibus exempti non sunt, manent inferiores Episcopis: ergo non possunt absolvi a censura lata ab Episcopo in aliquo tali casu per sententiam particularem, nam de generali aliud est, ut diximus.

V. In quo tamen obiter notandum est privilegium concessum à Nicolao IV. quod his verbis refertur in Compendio Societatis, verb. Excommunicatio. §. 3. *Nicolaus IV. voluit fratres l. gari aliqua sententia excommunicacionis suspensionis, & interdicti, hominibus, nisi nominatim fieret in iuris, nec si fieret, si diceret in sententia generali, ut perinde valeant, ac si essent nominati expresse.* Quod privilegium si intelligatur de expressa nominatione singularum personarum regularium, est satis magnus; si autem intelligatur solum de expressa nominatione talis, vel talis religionis, vel monasterij, & omnium religiosorum eius, minorem continet gratiam, sufficientem tamen ad explicationem privilegij, si alia verba non repugnant. Videtur prior sensus magis consentaneus verbis, quia proprie non dicitur fieri mentio nominatim aliquorum quando sub generali appellatione talium religiosorum comprehenduntur; praesertim quia ibi dicitur, *non si fieret, si diceret in sententia generali, ut perinde valeant, ac si essent nominati expresse.* Quod credibile non est, positum esse propter nominationem religionis, aut monasterij, quae facillimo negotio fieri potest expresse: positum ergo est propter expressam nominationem personalem. Ita ergo videtur hic fauor intelligendus, ampliandus, & valde notandus.

## VI.

Dico tertio, à censuris latis, & reservatis iure religionis eodem iure absolvi potest praelatus, ad quem reservatio facta est; & à fortiori praelatus superior, & consequenter delegatus ab ipsis. Hæc omnia constat ex communi doctrina de censuris, & ex dictis in precedenti capite de solutione à culpis reservatis: nam quoad hoc eadem est ratio, & proportio. Solum quæri potest, si reservatio censuræ fiat praelato absolute, & absque addito determinante, quis veniet sub illa appellatione, & praesertim, an praelatus, etiam localis, possit absolvi. Respondetur affirmando: nam sub illa voce absolute prolata, quilibet praelatus comprehenditur, & indefinita locutio in his rebus uniuersali æquivalere. Itē, quia praelatus Conventualis est verè praelatus, & participat suo modo iurisdictionem Episcopalem; ut supra c. 2. à n. 9. dixi.

## VII.

Circa delegationem autem occurrit illa vulgaris interrogatio, si Superior committat potestatem absolviendi subditum à censuris, an censetur commissum ad absolviendum à censuris reservatis. Videtur enim negatiue respondendum, iuxta regulam textus in c. 2. de penit. & remiss. in 6. In contrarium autē est, quia per illam facultatem plus videtur concedi, quam per facultatē absolviendi à peccatis mortalibus non reservatis, sed per hanc conceditur consequenter potestas absolviendi à censuris non reservatis, ut n. 1. diximus: ergo ut illa facultas aliquid operetur, oportet ut extendatur ad censuras reservatas. Respondetur nihilominus, si aliunde non colligatur, hanc fuisse mentem concedentis, non esse facile extensionem illam admittendam; propter citatam regulam, & quia potest illa expressa, & directa concessio fieri ad tollendam omnem dubitationem, vel opinionem: nam in iurisdictione delegata non est certum, eum, qui potest absolviere à mortalibus, posse etiam absolviere ab excommunicatione maiori non reservata, licet sit probabile: item potest operari illa facultas, ut absolutio à censura per se detur sine ordine ad absolutionem sacramentalem. Hoc autem procedit quando in religione sunt quædam censure reservatae, & alię non reservatae: nam si tantum essent

reservatae, necessario venient sub generali appellatione, quia in tali religione non sunt aliae; & ideo ex materia ipsa fit sufficiens determinatio.

Dico quartò, praelatus religionis, partim iure communi, partim ex privilegio, potest absolviere subditos à censuris reservatis Papæ quæ in iure communi sunt Episcopis. Non agimus de censuris, quas ipsi Episcopi sibi reservant, quia illæ non ligant religiosos exemptos, de quibus agimus; censura autem Papales ligat illos, si alioqui ad illos vel speciatim, vel generatim dirigantur; & consequenter etiam reservatio Papalis ex se vim habet respectu illorum: idēque nisi ab ipso Papa detur aliquo modo iurisdictione, non poterunt ab illis absolvi. Solet autem in iure committi Episcopo in aliquibus casibus absolutio à censura Papæ reservata: quod dupliciter contingit, scilicet, vel simpliciter ex generali ratione Episcopalis iurisdictionis, vel ex peculiari commissione, & praesertim si addatur, *ut leg. no. p. 1. Priori modo committitur ei absolutio ab excommunicatione can. si quis suadente, ut in c. per unum, cum similibus, de sent. excomm. & in Concilio Later. sub Alex. III. p. 14. In his ergo casibus, & similibus absolviere possunt praelati religionum suos subditos iure ordinario. Probat, quia habent in illos iurisdictionem Episcopalem, & praesertim in his rebus, quæ ad spirituales salutem, & medicinam pertinent, ut est absolutio à censura: sicut ergo illam iurisdictionem habent communi iure, ut supra probatum est, ita etiam habent potestatem absolviendi in his casibus.*

Posteriori modo sunt multæ concessiones factæ Episcopis in Concilio Tridentino; illa verò præcipua est, quæ habetur sess. 24. c. 6. de Reformat. vbi conceditur Episcopis facultas absolviendi in quibuscunque casibus occultis, sed à Apostolica reservatis. Quæ concessio, si nuda verba inspiciantur, videtur esse prioris generis, & consequenter extendi ad praelatos religionum, etiam iure ordinario. Nihilominus in 4. tom. 3. part. disp. 30. sect. 2. n. 7. propter quoddam responsum Congregationis Cardinalium, oppositum dixi: retuli tamen ibidem Motum proprium Pij V. in quo facultatem illam extendit ad praelatos ordinis Prædicatorum: quo privilegio alie etiam religiones per viam communicationis uti possunt. Conceditur autem illa facultas tam Prioribus Conventualibus, quam Superioribus praelatis. Vnde constat Superiores, aut Vicarios ordinarios non posse illa facultate uti, nisi eis à praelatis delegetur: intelligitur autem delegata, quoties praelatus à monasterio absens, Vicarium loco suo relinquit. Fruentur autem illa facultate Superiores parvorum conventuum, qui licet Abbates, aut Priores non nominentur, munus tamen integrè exercet, & immediate Provinciali subiiciuntur. Atque idem dicendum est circa priores casus, in quibus hi praelati utuntur sua iurisdictione ordinaria, iuxta superius dicta de his praelatis, & eorum iurisdictione in genere.

Hic autem occurrebat specialis questio de excommunicatione incurfa per peccatum hæreticis, an possit ab his praelatis absolvi per illam privilegium Pij V. dicendum autem est, si Concilij facultas renovata non esset, sine dubio id possent hi praelati, quia ex privilegio Pij V. generalis est quoad omnes facultates, etiam excommunicationem, quæ à Concilio conceditur. Concilium autem concedit hanc facultatem Episcopis, sicut per se ipsos. Ego autem in dicta sess. 24. c. 6. confirmavi, & nunc etiam verum censet, etiam si nonnulli moderni oppositum docuerint, in quibus sunt Henriquez lib. 3. de Penit. c. 3. & Emmanuel Rodr. tom. 1. q. 20. art. 10. & in explicat. Cruciatæ §. 9. nu. 70. Gutier. in Quest. canon. statim citandus. Vnde



Vnde consequenter in præfenti pro indubitato habeo, non posse hos Prælatos absolvere ab hac censura ex vi Concilij, & Privilegij Pij V. quod etiam sentit Saneius lib. 2. Decalogi. cap. 11. n. 7. tum quia ille non vult, vt hi Prælati in hac parte habeant maiorem iurisdictionem, quam Episcopi, sed tantum, vt non sint peioris conditionis: tum etiam, quia reuocatio, quæ fit in Bulla Cœnæ, generalis est quoad omnes, qui non habent facultatem peculiarem in casibus ibi contentos prout ibi referuntur.

XI. Addunt verò aliqui, quod licet Episcoporum facultas non esset reuocata, Prælati religionum illam non habent, quia illa non est data Episcopis, vt Episcopi sunt, sed vt Inquisitores sunt, quod munus Prælati religionum non habent. Sed hoc non potest satis probari ex verbis Concilij Tridentini: nam postquam generaliter de alijs criminibus occultis dixerat, subdit, *idem & in hæresis criminis, &c.* ergo hoc etiam committit Episcopis, vt Episcopi sunt, solum addidit restrictionem, vt non possint eam potestatem delegare: de cuius restrictionis sensu alibi disputandum est. Vide quæ dixi disp. 30. de penit. sect. 2. & disp. 21. de fide sect. 4. & disp. 21. de censur. sect. 3. num. 5. & Cordubam in Summa Hispana, q. 8. Gutierrez in suo Questionario cap. 13. num. 23. Emman. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 11. Igitur licet Concilium ex se non extendatur ad Prælatos religionum, sed solum ex concessione Pij V. tamen, illa supposita, non dubito, quin extensio comprehendat etiam crimen hæresis; tamen reuocatio æquæ etiam extenditur, vt dixi, & in sequentibus amplius explicabo.

XII. Dico quintò, per privilegia religionum, præsertim Mendicantium, possunt Prælati regulares absolvere suos subditos ab omnibus censuris à iure, vel ab homine latis. Priorem partem huius conclusionis, quæ spectat ad censuras à iure, (sub quibus nunc censuras Bullæ Cœnæ comprehendit) colligo ex his, quæ breuiter notantur in Compendio Societatis, verb. *absolutio*, & ex multis privilegijs, quæ indicat Emmanuel Rodericus tom. 1. quæst. 20. Non censo tamen necessarium per singula privilegia discurre: quædam enim concedunt absolutionem tantum ab vna censura, excommunicatione, v. g. alia ab alijs, vel ab omnibus, & interdum extendunt sermonem ad dispensationem ab irregularitate, de qua nunc non agimus. Item, quædam addunt hanc limitationem, *Nisi adeo fuerint graues, & enormes excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi*, vt ex Clemente IV. refertur in lib. Monumenta ordinum, concess. 318. & 319. Alia verò addunt contrariam extensionem, *etiam si alia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda*, &c. prout refertur in dicto Compendio Societatis, §. 10. ex privilegio Benedictinis concessio. Ex omnibus ergo privilegijs sufficienter inspectis colligitur vniuersalis conclusio posita (etiam quoad vtramque partem.) In qua sunt tria explicanda. Primum materia, circa quam hæc facultas versatur: secundum, quis Prælati possit illa rei: tertium, circa quas personas.

## CAPVT XXI.

A quibus censuris & penis possint Prælati regulares absolvere suos subditos per privilegium religionibus, præsertim mendicantibus, concessum.

I. In hoc puncto, quoad primum in fine præcedentis capitis proposuimus, dicendum est censuras Pontificias esse materiam horum privilegiorum.

Hoc constat ex eorum verbis, quæ vniuersalia sunt, & prædictam distributionem multis modis declarant. Quia verò sub vniuersali clausula non solent speciales casus comprehendi, dubitari in primis potest, an sub ea comprehendantur casus referuati in Bulla Cœnæ, qui, vt aliqui censent; ita sunt speciales; vt sub generali facultate non comprehendantur. qua de re vide Staphyleum de Reservat. in forma Breuium, pag. 191. Gomez in tract. Breuium, n. 26. Nihilominus dicendum est comprehendi, non quidem sub singulis privilegijs, nam, vt dixi n. 12. c. præced. in aliquibus sunt vel tantum generalia, vel nimis limitata, sed sub omnibus simul. Primum quidem est privilegium Sixti IV. cuius fit mentio in nostro Compendio §. 6. verb. *Absolutio*. ex Monumentis Minorum. In eo enim à generali exceptione quatuor tantum casus excipiuntur; exceptio autem, vt iuxta aiunt, firmat vniuersalem regulam in contrarium: ergo ex vi illius indulti extenditur hæc facultas ad omnes alios casus in Cœna Domini contentos, & quomodocunque Pontifici reservatos. Erant autem casus excepti à Sixto IV. Primò *relapsus in hæresim, schisma, licentiarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad infideles*. Qui omnes sunt casus in Bulla Cœnæ contenti, & ex his, quæ circa illius expositionem tomo de Censur. disp. 21. sect. 2. diximus, satis clari. Ex his autem intelligitur vis rationis facta: nam ex eis constat, illam facultatem extendi etiam ad primum lapsum in peccatum hæresis, quod inter omnia referuata habet maximam specialitatem; ergo à fortiori intelliguntur concessi omnes alij casus ibi non excepti. Item cum in sola hæresi relapsus excipitur, in alijs non exceptis quicunque relapsus, seu quodcunque recidivum intelligitur concessum.

Addo verò vterius, illam exceptionem magna ex parte sublatam esse per concessionem Gregorij XII. Societati factam, *absolendi ab hæresi, & a re lapsum etiam in hæresim eos omnes, qui sub Societatis obedientia viuunt, si quis (quod Deus auertat) in eam incidere, vt hæresis*. dicitur in dicto Compendio, §. 7. & in 9. additur, eandem facultatem concessisse Alexandrum VI. Minoribus de Obseruantia, cum duplici tamen limitatione, scilicet, pro folijs Ultramontanis, & dummodo relapsorum crimina publica, & notoria apud seculares non sint: Gregorius verò nullam limitationem addidit. Circa quam extensionem dubitari potest, an per illam sublata sint alie tres exceptiones posite à Sixto IV. nam ita videtur affirmandum, quoniam potissima illarum exceptionum erat relapsus in hæresim, & inter omnes casus ille habet maximam specialitatem: ergo illo concessio, reliqui omnes censentur concessi. Sed nihilominus ex vi illius solius indulti non audeam hoc affirmare, quia in materia iurisdictionum, & potestatum argumentum illud non est firmum, nam potest quis habere iurisdictionem ad iudicandum de grauisimo crimine, & non de minori, maxime in iurisdictione delegata, qualis datur per hæc privilegia. Verum est, iuxta materiam subiectam intentionem illorum Pontificum videri fuisse, vt omnis exceptio & limitatio auferretur. Existimo tamen supposuisse alias exceptiones iam sublatas, & ideo illam tantum, quæ maxima erat, abstulisse; ablatæ autem videntur alie exceptiones per privilegia generalia, quæ exceptionem non habent, & addunt illam clausulam, *etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda*. Dices, per hæc clausulam, etiam exceptionem relapsus in hæresim videri sublatam. Respondeo, adeo esse specialem casum illum, vt sine specifica expressione non putaretur concessus, etiam per illa generalia verba; sicut in disp. 21. de fide sect. 4. diximus, per privilegia concedentia facultatem

M 4 absol-